

Oswald Myconius¹⁾ an Vadian.*Zürich. (1518.) October 15.*

Freundschaftsbeteurungen und Complimente über die Poetik des Vadian. Übersendung der Schrift des Erasmus: Lob der Ehe und der Medicin.

S. Non possum respondere ad ea, quæ proximis litteris ad me perscripsisti, ob celerem tabellarii abitionem, quem a casu nactus sum. Hoc tamen apud me continere nequeo, quam me tua delectet amicitia^{a)}, nempe ita, ut id verbis exprimere omnino non valeam. Peto, ut perpetuo durare sinas. Per transennam aspexi Poeticam tuam. Quid sentiam, non dico, ne adulationis me arguas vel saltem amoris cæcitate dicas seductum. Grebelius eandem secum asportavit. Quare ego rogo, efficias, ut quamprimum liceat, aliam mittas, quo habeam, quod desideravi^{b)} diutius. Vitam Nicolai misisti non importune. Morbus meus nihil mutatur; nescio quid faciendum. Mitto Matrimonii Encomium et Medicinæ. Videbis utrobique, quod te maximopere delectabit. Ita vehemens illud est, ut moverit Brunonem Amorbachium illum ad uxorem ducendam, qui non admodum eam rem curavit. Quid tibi faciet? Hoc vero tam blanditur, ut haud dubie tibi sis persuasurus, quia medicus es, non hominem, sed deum esse. Libuit ita iocari tecum; attamen iocus talis est, ut postquam rem perspexeris, animum inducas, nihil minus esse quam iocum. Vale meque ama mutuiter. Salutaris ab uxore mea plurimum, non minus a Felici^{c)} filio. Tiguri, tertio Idus Octobris.

Myconius tuus.

Viro absolutissimo D. I o a c h i m o V a d i a n o , medico et poetæ
laureato, amicissimo suo. Apud *Sanctum Gallum*.

a) „amicicia“. — b) „desyderavi“. — c) „Fœlici“.

1) Vrgl. I, Brief 105. — Da die „Poetica“ des Vadian, sowie das Encomium Matrimonii et Medicinæ des Erasmus im Sommer 1518 erschienen sind, ist das unvollständige Datum dieses Briefes mit Sicherheit durch diese Jahrzahl zu ergänzen.